



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

§. 3. Reiciuntur alij dicendi modi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

sensibili, neque à materia intelligibili. Alij asserunt omnem scientiam debere abstrahere à materia, quia intellectus spiritualis est, & immaterialis, & ita non potest obiecta attingere nisi à materia abstracta, & ita primam abstractionem à differentia individuali vocant abstractionem à materia tantum singulari, secundam à materia singulari, & sensibili tantum, tertiam à materia singulari sensibili, & intelligibili.

17 Contra hæc abstractionum genera primo occurrit non levis, nec facile soluenda difficultas, cur videlicet prima abstractio ex vi cuius concipitur homo, non sit abstractio à materia sensibili: & secunda per quam concipitur materia ut sic, sit abstractio à materia sensibili, non enim mihi minus sensibilis est homo ut sic quam materia ut sic, sicut enim implicat materiam ut sic sentiri, sic implicat sentiri hominem ut sic; tantum enim sentimus hæc accidentia individua physicè existentia, & non rationem aliquam abstractam ab ultimis differentiis individualibus. Quod si dicas, hominem ut sic non abstrahere à materia sensibili, quia includit conceptum materiale necessarib. contrahendum per rationes individuas materiales sensibiles, idem dicam ego de materia ut sic quæ ultimò contrahenda est ad individua sensibilia. Secundò: illud quod potest contrahi per rationes individuas ab illis dicitur abstrahere: ergo homo ut sic potest contrahi per individua, quibus conveniat sensibilitas, seu capacitas terminandi sensationes contractione seclusa rectè dicitur abstrahere à materia sensibili. Secundò sicuti constituunt Thomistæ quamdam abstractionem à materia individua & abstractionem à differentiis individualibus vocant abstractionem à materia individua, cur non constituunt abstractionem aliam à ratione corruptibilis, quam vocent abstractionem à materia corruptibili, & ratione illius constituunt aliam scientiam de ente incorruptibili, seu abstrahente à corruptibilitate. Tertio in Metaphysica triplex abstractio inveniuntur prima est transcendentium, quæ abstrahunt à materia præcisè, quia illam non dicunt, non tamen negatiue, quia cum his transcendentibus ratio materiæ non opponitur, potius prædicata, quæ transcendentia dicuntur, de quibus agit Metaphysica, reperiuntur in quocumque materiali individuo, & hæc abstractionem permittimus appellat P. Suar. disp. 1. Metaph. sect. 2.

Alia est abstractio, quam dicunt intelligentiæ, eorum quæ negatiue abstrahunt à materia, quia illis repugnat materiale subiectum, ex quo simul & ex forma componentur, non tamen abstrahunt ab omni compositione physica, quia dicunt compositionem ex substantia & accidenti. Tertia abstractio omnium perfectissima reperitur in Deo, ex vi cuius negatiue abstrahitur ab omni compositione, etiam ex substantia & accidenti, quia Deus est ens simplicissimum; ergo si obiecta scientiarum, & scientiæ multiplicarentur per diversas abstractiones, in una Metaphysica tres possemus scientias diuidere. Scio nonnullos existimasse consequens vi illationis admittendum esse, in quibus Smigletius illud satis probabile esse affirmat disput. 17. quæst. 2. verumtamen Thomistæ, & ferè omnes authores qui asserunt vnam Metaphysicam completi Deum, & intelligentias, hac solutione uti non poterunt.

18 Quartò de rebus spiritualibus habentibus eundem gradum abstractionis à materia agunt distinctæ scientiæ: ergo hæ scientiæ distingui non possunt per distinctas abstractiones à materia. Probo anteceden: Scientia animalica, seu Philosophia agit de operationibus intellectus quatenus sunt spirituales, quatenus important actionem, ex vi cuius ab intellectu procedunt, & quatenus dicunt qualitatem, in qua verbum mentis constituitur, & quatenus per actionem, vel qualitatem formaliter constituuntur in ratione intellectuum, & quatenus sunt vitales, & secundum alias huiusmodi formalitates, Logica seu Dialectica agit de eisdem operationibus quatenus dicunt directionem formalem formalis sciendi instrumenti, videlicet definitionis, propositionis, & syllogismi mentalis; & quatenus ex vi illarum formaliter, vel quasi efficienter constituuntur genus, & differentia, superius, & inferius. Sed operationes intellectus quatenus habent proprietates illas de quibus Philosophia disputat, & quatenus obeunt hæc munera de quibus disputat Logica, sunt in eodem gradu separationis, seu præcisionis à materia, & in eodem vniuersalitatis gradu: ergo hæ scientiæ non distinguuntur per distinctas præcisiones à materia.

Rursus eundem modum distinguendi scientias per hanc abstractionem à materia impugno. In his diuersis abstractionibus tantum reperiuntur actus intellectus, illorum obiecta, & denominationes, quæ ex actibus deriuantur in obiecta: sed Scientiæ non distingui dicuntur per actus, aliàs dicerentur distingui per se ipsas, & si hoc diceretur, procederet difficultas de ipsis actibus, de illis enim inquiramus, quid speciale habeant, ratione cuius hanc scientiam constituent distinctam ab illa, & ratione cuius horum collectio ad hanc scientiam spectet, & nullus alius ab his distinctus ad eandem pertineat. Si dicas distingui per obiecta horum actuum per quos formaliter, aut quasi effectiuè obiecta abstracta dicuntur, incidit in communem sententiam asserentem scientiam distingui per obiecta, cuius difficultatem expendi supra, nullum enim apparet caput, ex quo possumus cognoscere, quod sit obiectum adæquatum huius scientiæ totalis ut distinctæ ab illa. Per denominationes ex actibus in obiecta resultantes non audebis dicere scientias inter se distingui, quia distinctæ denominationes supponunt distinctionem actuum, per quos denominationes constituuntur, vel à quibus resultant tales denominationes.

§. III.

Reiciuntur alij dicendi modi.

20 Respondent alij scientias distingui per distincta attributionis obiecta, quia omni scientiæ distinctæ ab alia conuenit vnum attributionis obiectum distinctum ab obiecto attributionis reliquarum scientiarum. Admitto in quacumque scientia reperiiri vnum attributionis obiectum, ad quod omnia, quæ in illa scientia disputantur, diriguntur; verumtamen per hoc non posse scientias inter se distingui, sic probo. Respectus ad obiectum attributionis distinctum debet supponere ipsum obiectum attributionis distinctum ab obiecto attributionis alijs scientiæ: ergo aliud assignandum est caput, per quod distinguatur obiectum attributionis huius scientiæ ab obiectis attributionis aliarum scientiarum, quod æquè difficile erit, ac esset assignare sine ordine ad hoc attributionis obiectum, obiectum adæquatum formale huius scientiæ condistinctum ab obiectis adæquatis formalibus reliquarum scientiarum. Deinde assignato obiecto attributionis huius scientiæ superest difficultas in assignandis reliquis obiectis attributi pertinentibus ad eandem scientiam, quia etiam omnia obiecta attributi spectantia ad hanc scientiam debeant ordinari ad illius attributionis obiectum, non tamen omnia obiecta, quæ ad illud obiectum attributionis possunt ordinari, necessarib. dicuntur ad eandem scientiam pertinere, aliàs scientia quæ haberet pro obiecto attributionis Deum complecteretur tanquam obiecta attributi omnia obiecta creata, quia hæ omnia possunt ordinari ad vnum obiectum attributionis increatum tanquam effectus ad causam, à qua procedunt. Eademque ratione ad obiectum attributionis ad quod ordinantur operationes intellectus, quatenus sunt spirituales, actus vitales, & dicunt qualitatem vel actionem, possent ordinari, quatenus constituunt formalem definitionem, syllogismum, genus, speciem, superius, & inferius; quia directio operationum intellectus indistincta ab ipsis rectè poterit ordinari ad ipsas operationes secundum se constituendas, & ad cognoscendum principium ratiocinandi, & animam, à qua procedunt, & consequenter ad idem attributionis obiectum, ad quod ordinantur ipsæ operationes, quatenus vitales, spirituales, &c. ergo pertinebunt ad eandem scientiam secundum se sumptæ & ut habentes directionem, quam præscribit Logica.

21 Ultimò in Metaphysica cui plerique Deum assignant tanquam attributionis obiectum, nulla poterit ratio ex hoc attributionis obiecto assignari, cur tantum se extendat tanquam ad obiecta attributi ad illa entia, quæ præcise ad illa materia, & non se extendat ad alia plura, quæ etiam possent ut obiecta attributi ordinari ad Deum tanquam ad obiectum attributionis, æquè enim ordinantur ad Deum alia entia, quæ à materia non abstrahunt, quam entia abstrahentia à materia.

22 Alij, in quibus nostri Conimbricienses quæst. 1. procedunt Physic. asserunt scientias distingui per distinctas scibilitates obiectorum, quia quæcumque scientia distincta includit

cludit obiectum cum distincta scibilitate formali, seu distinctum formaliter ut scibile. Hic dicendi modus haud difficiliter precedentibus impugnatur, quia si per obiectum ut scibile intelligatur, obiectum ut denominatum actu scientiæ, distincta scibilitas obiecti procedet à distincta scientia, & ita supponetur distinctio huius ad distinctionem illius; & non poterit scientia per scibilitatem distinguui, sed potius scibilitas distinguetur per scientiam. Si verò per scibilitatem intelligatur capacitas, quæ est in obiecto ad terminandos actus scientiæ, hæc non distinguatur ab ipsa ratione formali obiecti; ac proinde idem est dicere scientias distinguui per distinctas scibilitates, ac asserere distinguui per distincta obiecta formalia, contra quem dicendi modum non leues difficultates supra expendi.

23 Sotus & alij referunt Nominales asserentes in Logica, Physica, & Metaphysica tot reperiri scientias, quot sunt conclusiones, quæ demonstrantur. Horum ratio esse poterat nullum reperiri modum, quo conclusiones illæ vniarentur ad vnam scientiam constituendam. Verumtamen P. Suarez Doctorum veterum scrutator affirmat 12. Met. disp. 44. sect. 11. num. 60. se non potuisse sententiam hanc apud Nominales reperire, quod mihi firmissimum fundamentum est ad asserendum nusquam id docuisse Nominales; fundamentum, quo hæc sententia his Doctoribus tribuitur, forsitan erit, illos docuisse habitus eiusdem scientiæ nullâ physicâ vniione annecti, sed tot dari habitus distinctos, quot conclusiones specie diuersæ; qui per aliquem extrinsecum respectum scientiam vnam component, & sæpè asserunt scientiam non esse vnam in esse rei, seu in esse qualitatis, esse tamen vnam in esse scibilis seu in esse scientiæ.

24 Picus Mirandulanus apud Nostros Conimbr. quæst. 1. Proœm. Physic. asseruit omnes conclusiones ad vnam scientiam ordinari, neque plures scientias adequatas reperiri, sed vnam tantum ordinatam ad intellectum perficiendum, quæ diuiditur in distinctas scientias partiales Physicam, Dialecticam, Metaphysicam, Mathematicam, & Theologiam, quod probat ex Aristotele 5. Ethicor. integrante vnam iustitiam ex distinctis scientiis moralibus, quia omnes ordinantur ad componendos mores: ergo habitus omnes, quos nos in scientias distinctas distribuimus, quia omnes ordinantur ad vnum intellectum perficiendum, vnam scientiam adequatam constituent.

25 Picus Mirandulanus ad vnam scientiam reuocauit conclusiones omnes, quas nos in scientias distinctas distribuimus, & Metaphysicam, & Theologiam reliquasque scientias, quas nos scientias adequatas appellamus, partes vnius scientiæ vocauit, distinguendo enim scientiam adequatam tanquam in membra diuidentia, in illas quas nos adequatas vocamus. Sententiam hanc referunt Nostri Conimbr. quæst. 1. Proœm. Physic. art. 2. in quam toto impetu inuehantur, in primis quia nulli vnquam Philosophorum in mentem venit; vbi cumque enim de scientiis meminere, de illis ut de rebus naturæ specieque distinctis mentionem faciunt. Secundo quia hic dicendi modus scientiarum splendorem non mediocriter obscurat, dum omnes in vnius corporis concretionem coniicit. Deinde quia fieri nequit ut tanta rerum dissidentium diuersitas, & tam vasta diuersarum naturarum sylua in vnius corporis vnitatem veniat. Deinde quia eadem ratione dici posset virtutum omnium materiam, & obiecta ad vnam tantum virtutem pertinere, quo nihil absurdius in doctrina Morali.

26 Expenis omnibus quæ in Mirandulani sententiam Conimbricenses congerunt, & reliquis, quæ in illam mihi potuere occurrere, illam tantum damnare audebo, ex eo quod discedit à communi loquendi modo, quem nostri scientiarum principes præscripserunt, neque aliquid ex ipsa rerum natura desumptum in illam apud authores lego, neque à me inueniendum esse præsumo. Ratio est, quia vnitatem, quam tribuit Mirandulanus scientiis omnibus non est realis, aut physica, sed tantum respectus quidam ad vnum intellectum, cuius omnes sunt perfectiones, quem respectum negare nobis non licet, omnes enim fateri tenemur ex obiectis distinctarum scientiarum constari vnius intellectus obiectum vnum adequatum, quod sufficere ait Mirandulanus, ut has omnes scientias, vnam adequatam appellemus, quam distribuimus in Metaphysicam, Theologiam, & reliquas scientias, quas nos adequatas appellamus. Neque hic dicendi modus negat distin-

ctionem specificam inter Metaphysicam, & Theologiam, & reliquas scientias, etiam si asserat omnes esse partes vnius scientiæ adequatas, quia in his totis, quæ non physicâ aliâ vniione partes habent connexas, non repugnat has inter se specie esse distinctas: exercitus enim est totum quoddam constans partibus inter se valde specie dissidentibus. Neque propter hanc scientiarum vniionem in ordine ad vnam tantum componendam illarum pulchritudo, quæ in distinctione ipsarum sita est, deperditur, sed tantum dicuntur distinguui ut partes, quæ antea ut tota distinguui dicebantur, potius illis accrescet noua pulchritudo ex vniione ipsarum ad aliud totum componendum. Exemplum de virtutibus moralibus potius sententiæ Mirandulani fauet, quia sicuti ex virtutibus moralibus inter se distinctis vnam iustitiam, 5. Ethicor. constituit Aristoteles, quia omnes ordinantur ad mores componendos, sic ex Metaphysica, Theologia, & reliquis scientiis, quia omnes ordinantur ad vnum intellectum perficiendum, potest aliud totum componi, quod scientia totalis dici poterit. Sic in aliis totis moralibus contingit, ex multis enim capitibus fit domus vna; ex multis domibus vna familia, seu genus vnum; ex multis familiis vnus populus; ex multis populis vna Prouincia; ex multis prouinciis Regnum vnum. Neque ex eo quod hæc omnia ad vnum totum redigantur aliquid distinctionis amittunt; duplex enim prouincia eandem habebit distinctionem siue ad regnum vnum utraque reuocetur, siue vltimò diuise maneant, & ut proprius desumamus exempla, eandem distinctionem, quam nunc habent, haberent omnia prædicamenta accidentium, quantitatis videlicet, qualitatis & cætera, etiam si ad vnum Accidentis prædicamentum reuocarentur, quod postea in nouem accidentium prædicamenta diuideretur.

27 Hurtadus disp. 1. Metaph. sect. subsect. 2. & Arriaga disp. 1. Logicæ sect. 3. subsect. 8. volunt vnitatem scientiæ constituere propter connexionem actuum inter se, licet Hurtadus non admodum clare loquatur tantum enim asserit 5. 186. aliquos habitus habere inter se naturale aliquod vinculum, quo nectantur in ordine ad aliquam scientiam, quod oritur ex dependentia actuum, à quibus procedunt, quia scientiæ à priori de homine per essentiam demonstrantur, prima passio, & per primam passionem passio secunda, & sic passionis reliquæ, quarum cognitiones dependent ab vna essentia cognitione, quam dependentiam habent illarum habitus in radice, seu in actibus à quibus procedunt. Similis dependentia reperitur in scientia à posteriori hominis, in qua cognitio primæ passionis dependet à cognitione secundæ, & cognitio essentia à cognitione primæ, quod ego verum esse existimo, non tamen probat Hurtadus similem connexionem reperiri in omnibus actibus, qui ad eandem scientiam pertinere dicuntur, quod difficile poterit defendi, & difficilior posset probari, quæ enim connexio poterit inesse inter conclusionem, quæ infert Physicus dari materiam primam, & conclusionem, quæ infert idem Physicus motum resilientis impediri quiete negatiuâ, aut positiuâ in puncto reflexionis? Quæve connexio reperiri poterit inter conclusionem, quæ infertur ex principiis philosophicis dari vniionem superadditam inter materiam & formam, & conclusionem, quæ ex principiis ad eandem Philosophiam spectantibus deducitur motum successiuum potuisse, aut non potuisse esse ab æterno; aut motu alterationis præsentis contrariio fieri successiuè, & contrario absente fieri in instanti? Ego quidem quomodo conclusiones inter se adeò disparatæ allui possint, penitus ignoro, ni recurramus ad vnitatem obiecti, quia omnes prædictæ conclusiones versantur circa ens mobile, quod est vnum obiectum vnius Philosophiæ, quo dicendi modo incidimus in primam difficultatem, quæ exigebat rationem propter quam ens mobile fit vnum obiectum adequatum vnius scientiæ condistinctæ ab aliis, & ens corruptibile, aut ens corporeum, seu vniens non dicantur obiecta adequata aliarum scientiarum.

§. IV.

Propria sententia.

28 **L**egenda, vel supponenda sunt, quæ trado Controu. 15. de Anima, Punct. 4. vbi affirmo actus vitales non solum specificari ab obiectis formalibus, sed etiam ab obiectis materialibus, seu terminatiuis, quæ per se attingunt actus.